



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 6. Conversorum infimi gradus sunt in major relabendi periculo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

est, in quibus non lethaliter delinquitur, sibi animam facit deservire. Propter quod merito dicebat S. Isidorus, *Lib. 2. sent. cap. 8.* *Omnia nova conversio adhuc pristinae vitae habet commixtionem.* Et appositè ante ipsum Gregorius: *Unusquisque, qui Deum sequitur, ait, in ipso suo exordio ut locusta suscitatur: quia etsi in quibusdam actionibus locustarum more flexis poplitibus terra inhaeret: in quibusdam tamen expansis alis sese in aëra suspendit. Conversionum quippè initia, bonis moribus malisque permixta sunt, dum & nova jam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex usu retinetur. Tantò autem minùs permixtis interim malis laedimur, quantò contra illa quotidie sine cessatione pugnamus. Nec suos nos jam culpa vendicat, cuius pravo usui nostra sollicita mens resultat.*

§. VI.

*Conversorum infimi gradus sunt in majori relabendi periculo.*

**E** Apropter bona horum voluntas quæ Deo obedire statuunt, minus plena est, minusquè perfecta quàm priorum. Tantum enim ejus plenitudini detrahitur, quantum adhuc malæ cupiditati conceditur. Hinc autem lubricus horum status est ac facilior ad priora recursus:

mala enim quæ adhuc in illis vel ex parte vivit concupiscentia, præsertim dum consuetarum delectationum recurrunt illecebræ, facile commoveri potest & accendi. Huic quoque tentator noster invigilat, cujus hæc est astutia ut *singulis ho-*

*minibus*, ait D. Gregorius, *vitiis convenientibus insidietur*. Propter quod ut veraciter  
*L. 29. mor. c. 14. l. 14. cap. 6.* S. Leo: *Omnia discutit consuetudines, venat. cap. 3. tilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas a Hom. in aliquot scriptur. loca. querit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari*. Quod communiter & ab aliis  
*b L. 3. ep. 156.* S. S. a Basilio, utroque Isidoro, b Pelusiotâ & c Hispalensi, d Thoma, e B. Laurentio Justiniano, aliisque agnitum est & assertum. Propter quod præ cæteris his  
*c L. 3. c. 5. m. 22. 23. d Comm. 1. ep. Thessal. cap. 3. e Lig. vit. tr. 2. de prid. cap. 3.* incumbit cautè se custodire, suoque profectui sollicitè insistere, ac præcipuè suscipere illam vocem quâ quosdam spiritu promptos sed carne infirmos monebat  
*Vide S. Ignat. Loyolam exerc. spir. 1. sept. reg. ad discipulos ani. reg. 14. Matth. 16. 41.* Dominus: VIGILATE ET ORATE UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM: ubi si vigilando tantum, ait S. Prosper, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrii vires videretur hortatus; sed cum addidit: ET ORATE: satis docuit superni futurum muneris ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.  
*L. 2. de voc. gent. c. 28.* Sed quamvis id jam absolutâ voluntate suscipiant, ac per hoc incipiant & exe-

qui

qui (quod enim absolutè vult voluntas, nisi impediatur, & facit) illa tamen illorum voluntas adhuc parva est atque imbecillis, & quæ contrariæ concupiscentiæ pondere, quod in his quàm in prioribus longè est majus, paulatim à suo fervore flaccescit; ut facilè sit, ejusmodi sibi negligentius intendere, non eâ quâ priùs sollicitudine Dei adjutorium implorare, peccati opportunitates, maximè sibi speciatim ex sua indispositione solùm vitandas cavere, ac cætera ad se à relapsu continendum & in justitia perseverandum necessaria media adhibere. Propter quod hos longè faciliùs & frequentiùs prioribus contingit iterum vinci & à delicto præoccupari.

Accedit etiam, quod maximè incipientes, dum peccatis resistere atque in Deum converti cæperint, subindè vanè sibi complacent ac sui putent esse arbitrii, quod divini est muneris, ut dicant *in abundantia sua: non movebor in æternum: quam vanam sui præfidentiam ut in illis corrigat Deus, avertit faciem suam ab eis, & fiunt conturbati. Sunt qui pugnare incipiunt*, ait S. Augustinus, *sed quia viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus, quia ipse vincit, si se homo subjungit Deo, & pugnan-*

*In Psal. 35.*

res vincuntur, & cum quasi ceperint tenere iustitiam, sunt superbi & eliduntur. Propter  
*Philip. c. 2.* quod ipsis potissimum ingerendum illud  
 Apostoli: Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Quare, ait idem Augustinus, cum timore & tremore? subiecit causam:

*In Psal 65.* DEUS EST ENIM QUI OPERATUR IN VOBIS ET VELLE ET OPERARI PRO BONA VOLUNTATE. Si ergo Deus operatur in te, gratia Dei bene operaris, non viribus tuis. Ergo si gaudes, time: ne fortè, quod datum est:  
*Ser. 94. c. 3. de temp.* humili, auferatur superbo. Quia, ut alibi ait, quod impetrat humilis, amittit superbus. Si ergo Deus est qui operatur in nobis, quare dictum est vestram ipsorum salutem operamini? quia sic Deus in nobis operatur ut nos operemur. ADJUTOR MEUS ESTO. Designat esse operatorem qui invocatur adiutorem.

Tametsi itaque omnino cum Angelico  
*2. 2. q. 14. a. 4. ad 1.* Doctore asserendum sit, quod tam in bono quam in malo, ut in pluribus, proceditur ab imperfecto ad perfectum, prout homo proficit vel in bono vel in malo, ac propterea nec valde mali fiunt subito boni, nec valde boni (nisi fortè extraordinariâ ingruente tentatione) subito mali: tamen huiusmodi incipientes & adhuc in Christo parvuli, nondum in bono longè profecerunt, quia adhuc ex parte vivit in eis quædam ad vetus pecca-

PECCATORIS. ISI

peccatum inclinatio, ac proinde facilior est & proclivior horum iterum à bono in malum mutatio. Propter quod incipientes in Ecclesia, dicebat S. Thomas, potissimum indigere custodibus, ne Diabolus & male tentationes eos invadant, & quasi imbecilles superent. Et huic coævus S. Bonaventura: tenera mentes, ait, & à peccati affectu nondum plenè detersa sæpè magis timore humano quàm divino à voragine peccati detinentur. Ideò talibus expedit superiorum magisterio subjici, per quos à periculo retrahantur, sicut parvuli à matre comminante ab aquæ merstone & luporum moribus defenduntur.

1. comm. in  
cant. c. 3.  
leg. 2.

Lib. de sepa-  
lis Seraph.  
cap. 1.

§. VII.

Verè conversi, etsi inferioris gradus, non tam facile reincident quàm non verè conversi.

**E** St tamen non modicum inter hos & tres supra positos circa relapsum discrimen. Hi enim verè conversi sunt, ac per hoc omnes mortiferos affectus à se excluderunt, ita scilicet, ut jam eis bona voluntas, hoc est juxta <sup>a</sup> Augustinum & <sup>b</sup> Bernardum, Dei charitas prædominetur, deindè absolutè quoque sollicitudinem suscipiunt, ut sic possint permanere: ad hanc autem pertinet, bonæ voluntati,

Serm. 1.

Pentecost.

a Lib. 1. de

grat. Christ.

cap. 21.

b Serm. 1.

contra Pentecost.